AESCHYLI VITA.

Aeschyli vitam scripturus, haud multum novi me prolaturum esse probe scio. Neque vero hac in re scriptionis si qua est utilitatem sitam opinor. Sed vita Aeschyli complectitur omnem *Tragoediae Graecae* et originem et incrementa, quae ante eum natum nulladum erat, neque eo mortuo, circa Euripidis initia, mutationes passa est quae ipsius momentum valde auxerunt.

Chronologia igitur huius vitae ad ipsam *Tragoediae* historiam constituendam et cognoscendam maximi est pretii, nec quae una opponi posset, vita Sophoclis, satis alte res repetit et maiore numero rerum *certo tempore* gestarum caret; huius praeterea momentum alibi invenitur.

Chronologiam autem *Aeschyleam* nemo post Hermannum et Welckerum de industria tractavit. Attigit Welckerus[1], fusius de eadem re egit God. Hermannus[2]; neque intactam relinquere hanc rem potuerunt in ista quam exercuere de arte tragica Graecorum Titanomachia; sed dolendum est, quod neque ipse Welckerus qui inde superior discessit, neque alius quidam eius vestigia secutus, in annos Aeschyli accuratius indagavit. Deterruit forte plerosque, quod longe plurima praeripuissent ipse Welckerus et Clinton in *Fastis Hellenicis*. Quos igitur sequar, unice fere de Chronologia sollicitus, omnique opera mea non in eo col-

[1]) *Die Aeschylische Trilogie Prometheus ... nebst Winken über die Trilogie des Aeschylus überhaupt.* Darmstadt, C. W. Leske, 1824. pp. 516—523.

[2]) De Choro Eumenidum Aeschyli Diss. II, in *Opusculis*, Lips. G. Fleischer 1827, Vol. II. pp. 139—166.

locata, ut nova proferam, sed ut componam ea omnia, quae nulli amplius dubitationi videntur esse obnoxia.

Quod ut planius fiat, tabula primum AESCHYLI vitam ex ordine meo complexus sum. Quae nova ipse induxi, uncinis [] significavi; ubi nullum dissensum annotavi, steti fide CLINTONIS [3] et WELCKERI. Numeri in fabulis Scenicorum sunt DINDORFII in *Poëtis Scenicis Graecis* [4]; signo ** indicavi eos locos *omnes*, quos non ipse ex ipsis libris hausi, item libros, quos mihi adire non licuit. Ubi praeter CLINTONEM et WELCKERUM auctores non appono, in vulgus nota trado, aut quantum scio a me profecta; praeterea *in tabula* locos meae sententiae adversantes omisi, nec nisi factorum expositionem dedi et argumenta quibus illa niterentur.

Cf. tabula annexa.

AESCHYLUS igitur, f. EUPHORIONIS, Atheniensis, Ἐλευσίνιος τῶν δήμων (*V. Aesch.* male τὸν δῆμον) i. e. genere, ἐξ εὐπατριδῶν τὴν φύσιν ἔχων (*V. Aesch.* l. τὸ γένος κατάγων e Cod. Leid. 51; ult. voc. est in margine), natus est Ol. 63. 4, a Chr. n. 52$\frac{5}{4}$. Fieri potest ut fuerit, quemadmodum vulgo traditur, frater CYNEGIRI qui *Marathone* fortiter pugnans occubuit. Fuit ille saltem filius EUPHORIONIS (HEROD. VI. 144), nisi hoc ipsum ei opinioni ansam dedit, quam iusto audacius BERNHARDY [5] II. p. 740 falsam pronuntiat. Frater AMINIAE, qui ad *Salaminem* ex omnibus Atheniensibus πρωτεῖα accepit, certe non fuit AESCHYLUS; erat enim ille Παλληνεύς (HEROD. VIII. 84. 93, cf. OTFR. MÜLL. *Litt. Gesch.* II. p. 78. n. 1).

Natus annos 25, primam tragoediam egit poëta (Ol. 70. 2. Elaph. i. e. Mart. 499), quo in certamine CHOERILUM et PRATINAM aemulos habuit. Victor saltem non processit ex hac contentione, quin immo per annos 15 nullam victoriam reportavit. Quod ipse magno animo tulisse videtur, si verum est, cum dixisse (CHAMAELEON vel THEOPHRASTUS ἐν τῷ περὶ ἡδονῆς ap. ATH. VIII. 347): χρόνῳ τὰς τραγῳδίας ἀνατιθέναι, nempe εἰδότα ὅτι

---

[3]) CLINTON ex Ed. KRÜGERI, Lips. F. C. G. Vogel, 1830.

[4]) Lips. Weidm. 1830.

[5]) Grundriss der Griechischen Litteratur, mit einem vergleichenden Ueberblick der Römischen. Halle. Ed. Anton. 8°. 1e. Theil 1836, 2e. Theil: Geschichte der Gr. Poësie, 1845. — Plura quantum scio nondum prodiere.

κομιεῖται τὴν προσήκουσαν τιμὴν, et hoc quidem, cum esset *ἡττηθεὶς ἀδίκως ποτέ*.

In ista contentione corruerunt spectatorum sedilia; utrum PRATINA an AESCHYLO fabulam agente, non liquet; SUIDAS utrumque nominat. Quod idem SUIDAS tradit, hanc AESCHYLO causam fuisse itineris Siculi, merito explosit WELCKERUS, pp. 518 sq.

Brevi ante primam tragicam victoriam (Ol. 73. 4., Elaph. 484) diversissimo in campo ingentem sibi gloriam comparaverat AESCHYLUS. Aetatis anno 35, cum robore virili quam maxime vigeret, fortissime pugnans apud *Marathonem* (Ol. 72. 3, Boëdr. i. e. Sept. 490) graviter vulneratus est; idem ad *Artemisium* (Ol. 74. 4 vel 75. 1, Hecat. i. e. Iul. 480), ad *Salaminem* (Ol. 75. 1, Boëdr. 480), ad *Plataeas* (Ol. 75. 2, Boëdr. 479) fortiter pugnavit. Ceteroquin totus arti suae vixit, quod vel ex numero dramatum certissimo indicio licet conficere: spatio enim annorum 44 scripsit dramata minimum 112, ut ostendit WELCK. pp. 540 sqq., itaque terna fere singulis annis; remp. eum capessisse hoc saltem tempore nulla sunt indicia. A pugna inde Plataeënsi per annos septem nulla fit AESCHYLI mentio. Quod temporis spatium complectitur, ut animadvertisse mihi videor, prius AESCHYLI iter in *Siciliam* ad HIERONEM regem. Nempe AESCHYLUM bis in *Sicilia* fuisse evicit WELCKERUS, pp. 519 sqq., cuius rationibus subscribo, nisi quod AESCHYLUM post Ol. 76. 4. Elaph. 472 et doctam *Persarum* tetralogiam in *Siciliam* profectum esse non credo. Venit enim in *Siciliam* *Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος*. Iam VV. DD., immemores in omni Graecorum Historia Litteraria plurimum illis rebus esse tribuendum, quas scriptores simpliciter tradunt, et ita ut non videantur iis sic nude positis abuti potuisse, hunc alteri cuidam loco e *Vitae* supplemento accommodare studuerunt, quo traditur AESCHYLUS *ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι* (i. e. iterum docuisse) *τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ*, atque ideo illud *τότε κτίζοντος* ita explicuerunt vel potius torserunt, ut dicerent *Aetnam* per plures annos esse conditam, urbes enim, ut est in adagio, singulis diebus non aedificari. Quo usque adeo abusus est ** BÖCKHIUS, ut statueret AESCHYLUM in *Siciliam* venisse annis 8 vel 9 postquam *Aetna* condi coepta esset. Quod de illa saltem urbe statui non licet; quod enim *κτίζειν* dicebatur HIERO, nil

erat nisi *Catanam* oppidum, eiectis pristinis sessoribus, novisque colonis deductis amplificare eiusque nomen mutare, quod sane intra breve temporis spatium ad finem perduci potest.

Venit igitur AESCHYLUS *Syracusas* ad HIERONEM Ol. 76. 1, 47$\frac{6}{5}$, cum is occupatus esset in *Aetna* condenda; ibique egit fabulam Αἰτναίας, prospera quaeque novis civibus auguratus. Dirimere nolo, utrum fabula Αἰτναῖοι νόθοι (quae *sic* est in Fabularum Catalogo, ut et Αἰτναῖοι γνήσιοι) revera tragoediam indicet falso AESCHYLO adscriptam pro genuinis Αἰτναίαις, quod omnes quantum scio VV. DD. taciti statuisse videntur, an sit forte titulus leviter corruptus genuinae fabulae (pro Αἰτναῖαι) quae cum γνησίαις eiusdem tetralogiae pars fuerit, et pristinis forte incolis cum novis comparandis inservierit. — At sic AESCHYLUS *Persas* ἀναδιδάσκειν *Syracusis* non potuit. Neque res necessario ita se habuit. Fac Grammatico nil innotuisse nisi fabulam et *Athenis*, et *Syracusis* actam esse; is sine dubio tragoediam, qua de proelio Salaminio ageretur, prius *Athenis* actam animo sibi finxit. Scimus autem per WELCKERUM (pp. 470 sqq.), tertiam tetralogiae fabulam fuisse *Glaucum* non Ποτνιέα, sed πόντιον, eiusque argumentum pugnam ad *Himeram* flumen, quo GELO HIERONIS frater natu maior Karthaginienses devicit, circa tempora proelii Salaminii, eodem ut fertur die. Iam vero AESCHYLUS ubicunque Graeci degebant proelium ad *Salaminem* celebrare potuit, pugnam vero Himeraeam longe ignobiliorem nullibi aptius quam in *Sicilia* apud HIERONEM, quem tunc ἀξιωθῆναι et σπουδάσαι intelligimus. Quin immo *Athenae* huic argumento aptissimus locus non erat, propter dissensum Graecorum et GELONIS de auxilio, quod a tyranno petierant, cf. HEROD. VII. 157—168. Cetera locum habere *potuerunt* sicuti dicturus sum: AESCHYLUS Ol. 76. 1, 47$\frac{6}{5}$ fabulam Αἰτναίας cum egisset, per triennium in *Sicilia* mansit. Cum HIERO prope regiam (WELCK. p. 476. n. 767) vel in ea theatrum haberet, AESCHYLUS, qui *Athenis* degens singulis annis terna fere dramata scribere soleret, et tunc ut circa annos 50 natus maxime vigeret, anno insequenti hortatu HIERONIS egit Φινέα, Πέρσας, Γλαῦκον πόντιον, Προμηθέα πυρκαῆ, quod drama satyricum ipsi ansam dedit componendae tetralogiae Προμηθεὺς πυρφόρος, Προμηθεὺς δεσμώτης, Προμηθεὺς λυόμενος cum dramate satyrico; ut in *Glauco* ποντίῳ pugnam Himeraeam ce-

lebrarat, ita in *Prometheo* δεσμώτῃ 363—370 montis *Aetnae* eruptionem memoravit, quae ante annos 5 (*M. P.* LII. 68) aut 2 (THUC. III. 116) locum habuerat; σφόδρα τῷ τυράννῳ Ἱέρωνι ... τιμηθείς (*Vit. Aesch.*) eius liberalitate tum *Glaucum* et Προμηθέα δεσμώτην, in quibus fabulis machinae et artificia scenica permulta adhibita fuisse censendum est, agere potuit, tum vero ibi magnam partem innovationum excogitavit, quas deinde in rem scenicam invexit, quo factum, ut cum anno post adventum quarto (Ol. 76. 4, 47$\frac{3}{2}$) *Athenas* rediisset, eoque cum tetralogia *Persarum* multisque novis inventis advenisset, proximos sibi annos *Athenis* aeque gloriosos reddiderit, ac laboriosi fuerant superiores. Cum vero *Athenis* cessisset Ol. 76. 1, 47$\frac{6}{5}$, eodem anno quo SIMONIDES ipsius aemulus vicit ἀνδρῶν χορῷ (*M. P.* LIV. 70, *Epigr.* ap. ** *Schol. Hermog.* p. 480., cf. CLINTON 476), inde *fortasse* nata est opinio, AESCHYLUM a SIMONIDE victum propterea *Athenis* cessisse (*Vit. Aesch.*), eadem ratione, qua alii eum iratum fuisse SOPHOCLI finxerunt ob victoriam praereptam (PLUT. *Cim.* 8).

Quae omnia affirmare temerarium foret, ne quid gravius dicam. Sed ita res sese habere *potuerunt*, et cum ceteris quantum video optime congruunt. Iudicent igitur peritiores.

Olympiadis 76 anno quarto, aetatis 52, a. Chr. n. 472, Elaphebolione mense, AESCHYLUS archonte MENONE vicit Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαυκῷ ποντίῳ, Προμηθεῖ πυρκαεῖ. Iam superarat invidiam; a *Persis* inde actis summum poëtam vel inimici agnovere, qui haud iniuria tempori confiderat, et gloriam sibi debitam iam occuparat. Per 15 inde annos continuos, quos *Athenis* degisse videtur, minimum 8 victorias tulit, verisimillime plures [6].

---

6) Tulit omnino 13, *Vit. Aesch.* et SUID. *Αἰσχύλος*, qui etiam falsum numerum 28 habet. Hic vero non est numerus victoriarum, ut putat SUIDAS, sed uno minor quam annorum numerus a prima victoria ad mortem; fortasse sibi poëtam semper victorem finxit nisi cum a SOPHOCLE superatus sit. AESCHYLI autem prima victoria est Ol. 73. 4, Elaph. 484. Iam vero etiam si statuamus, vel ipso anno proelii Salaminii certamen tragicum fuisse, et AESCHYLUM his quinque deinceps annis semper reportasse victoriam, quae vide quam sint omni verisimilitudini contraria, vel sic tamen remanebunt victoriae 8, quas cogimur per illos 15 annos distribuere, quos solos dein *Athenis* degit AESCHYLUS.

AESCHYLUM post actam demum *Persarum* tetralogiam in *Siciliam* abiisse et ceteri et WELCKERUS p. 520 statuerunt, isto ἀναδιδάξαι confisi. Neque diserta testimonia obstant nisi alter *Vitae* locus Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος, quem parum curasse videntur. Hoc enim negligentius dictum esse sibi persuaserunt, quod ex mea sententia potius de altero loco existimandum fuerat.

Cum autem hoc tempore AESCHYLUS quam maxime floreret, et singulis fere, nisi omnino singulis annis fabulas doceret, accidit, ut palmam ferret iuvenis quidam, cuius nulladum fabula in scenam producta esset. SOPHOCLES, Σωφίλου [7] f. ἐκ Κολωνοῦ, archonte APSEPHIONE Ol. 77. 4 Elaph. 468 victoriam tulit, et quod iam per se satis erat probabile, AESCHYLUM in eius competitoribus fuisse, id duobus non luculentissimis illis quidem testimoniis (PLUT. *Cim.* 8. *Vit. Aesch.*) [8] insuper confirmatur, unde iam locus communis facta est fuga AESCHYLI, quem ob hoc dedecus *Athenis* cessisse satis timide uterque auctor pronuntiat. Sed en historicam fidem: dum in *Vita*, laciniis istis undique collectis quarum auctor Alexandrinus aliquis fuisse videtur, in pluribus causis itineris etiam haec recensetur: ἀπῆρε δὲ ὡς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον, κατά τινας μὲν ὡς ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι τῷ Σοφοκλεῖ, PLUTARCHUS iam disertius et omnia prouti facta essent recensens: λέγεται, τὸν Αἰσχύλον, περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα, χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνῃσι διαγαγεῖν, εἶτ' οἴχεσθαι δι' ὀργὴν εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται, utrumque iter Siculum confundit. SUIDAS in v. Αἰσχύλος, cui notum fuisse opinor, quod e *Vita* licet ipsa iam depravata aut e communi fonte scire poterat, tradit poëtam tertio post adventum anno mortuum esse, eumque annos 59 natum occubuisse, nempe triennio post victoriam SOPHOCLIS, cum iam aliquot menses annum 57mum ingressus fuisset, neglecto item omni temporis spatio inter SOPHOCLIS victoriam et alterum AE-

---

7) Sic enim nomen recte scribitur; cf. *Miscell. Philol. et Paedag.* 1851. p. 28: *de Vita Sophoclis* scr. S. A. NABER.

8) Potuerunt enim vel ex hac ipsa verisimilitudine et rumore de AESCHYLO ob victoriam sibi ereptam *Athenas* relinquente conflari. Nec suspicione carent, quae plura hac de re narrat PLUT. l. l.

SCHYLI in *Siciliam* iter. Recentioris temporis viri docti pariter et indocti mirificas turbas dederunt, HERMANNUS (II. p. 149 sq.): » Quum non statim Athenis abiit eo videtur indignationem » dissimulare voluisse", quod quam absonum sit ostendit WELCKERUS p. 517 n. 806; et qui palmam ceteris praeripuit, suavissimus poëta MILLEVOYE, *Alexandriam* ad PTOLEMAEUM LAGI cursum poëtae nostri dirigens.

Ipsam quaestionem diremit WELCKERUS (pp. 516 sqq.), ubi agit de Siculis AESCHYLI itineribus, in quibus est cardo quaestionum de vita universa. PLUTARCHO et *Vitae* scriptori opponit silentium ARISTOPHANIS in *Ranis*, quin immo sinceram vehementemque amicitiam, qua AESCHYLUS SOPHOCLEM complexus fuisse in ista fabula repraesentatur (*Ran.* 787 sqq. 1515 sqq.), AESCHYLI dictum quod ex ATHENAEO VIII. 347 supra (p. 362) attuli, et alia argumenta e verisimilitudine inducta. Quibus accedat necesse est quaestio, an facile potuerit AESCHYLUS uno biennio (nempe ante mortem HIERONIS, Ol. 78, 2, vere 466) tres agere tetralogias, Αἰτναίας, *Perseidem*, et *Prometheos*. Quod ut biennio fieri potuerit quidem, ita longe incertius factum est inventa a FRANZIO *Didascalia*, e qua apparet AESCHYLUM anno post SOPHOCLIS victoriam, Ol. 78. 1, Elaph. i. e. Mart. 467, uno demum anno ante HIERONIS mortem *Athenis* fuisse, quin immo vicisse Λαΐῳ, Οἰδίποδι, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Σφιγγὶ σατυρικῇ; gravius etiam illud accedit, ut AESCHYLUS statim post victoriam reportatam *Athenas* reliquerit ob ipsam iram victoriae prioris sibi denegatae.

FRANZII *Didascalia* mira licet ratione innotuerit, licet virorum doctorum et ipsius WELCKERI sententiis graviter adversetur, certissimum est eam in Codice exstare. Et hodie forte, reperta nempe *Didascalia*, probabilis quaedam ratio invenietur explicando AESCHYLI Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας tamquam tertiam trilogiae partem sine decantato isto alterius recensionis invento. Non enim amplius reiicietur *Didascalia*, quippe quae hanc fabulam trilogiae ultimam faciat, siquidem in iis, quae sequuntur, non omnino a veritate aberravero. AESCHYLUS, tum patriae amantissimus, tum strenuus defensor eorum, quae constituta essent in civitate, partes ETEOCLIS in ultima etiam fabula secutus esse potest, ut cum altero ἡμιχορίῳ faciat dicente (*Theb.* 1072 sq.):

ἡμεῖς δ' ἅμα τῷδ', ὥσπερ (l. ᾧπέρ) τε πόλις
καὶ τὸ δίκαιον συνεπαινεῖ,

ita ut ex AESCHYLI sententia contra πόλιν quidem et δίκαιον POLYNICEN sepeliat ANTIGONE, nec tamen egeat defensione (1070 sqq.):

καὶ γὰρ γενεᾷ κοινὸν τόδ' ἄχος
καὶ πόλις ἄλλως
ἄλλοτ' ἐπαινεῖ τὰ δίκαια,

ıeque eius necem exspectemus ab irato CREONTE, ut etiam κήρυξ 1013—1026) nullam facit mentionem poenae, quae sepelienes maneat, qua in re cardo situs est *Antigones* Sophocleae. Et ıc igitur hic quoque AESCHYLUS ex praeclara sua sententia (*Eum.* 529):

παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν,

neque sepeliri POLYNICEN probavit, neque sororem necari ob fratrem sepultum. Sed et haec, ut huius generis pleraque, incertissima sunt, quae facili negotio et pro cuiusque ingenio composita, in praesenti documentorum penuria non offendunt, novo vero documento alicubi reperto statim corruere solent. Quod hoc ipso loco cum acciderit, cautiores nos reddere oportet.

Ex huius igitur *Didascaliae* auctoritate, Ol. 78. 1, Elaph. 467, archonte THEAGENIDE, AESCHYLUS vicit Λαΐῳ, Οἰδίποδι, Ἑπτ' ἐπὶ Θήβας, Σφιγγὶ σατυρικῇ, nec diffitendum est, hunc ordinem trilogiae enarrantis avi, patris filiorumque fata ceteroquin aptissimum esse.

Per novem iterum annos altum est de AESCHYLO silentium, per quod tempus, ut supra dixi, plures victorias reportasse censendus est. E quibus ultima tantum memoratur, et nos quoque aliquantisper morabitur. Res autem paulo altius repetenda est.

Notum est in vulgus (cf. DIOD. SIC. XI. 77. PLUT. *Cim.* 15, *Pericl.* 7, 9, 10) *Areopagi* auctoritatem ab EPHIALTE, vel PERICLE, certe EPHIALTIS ψηφίσματι, valde imminutam esse. Peritioribus ipsam mutationem quanam in re constituerit explicandam libens relinquo, mihi tria satisfacient, nempe haec: *eam mutationem non sine vi aliqua esse factam*, DIOD. l. l.: Ἐφιάλτης ..... παροξύνας τὸν δῆμον κατὰ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν κτέ. PLUT. *Per.* 9: ὁ Περικλῆς .... κατεστασίασε τὴν βουλήν, *Cim.* 15: οἱ πολλοὶ, συγχέαντες τὸν καθεστῶτα τῆς πολιτείας κόσμον ...,

κατεβόων συνιςάμενοι, καὶ τὸν δῆμον ἐξηρέθιζον, et quae notiora sunt: *eam mutationem circa rem iudiciariam versatam esse*, PLUT. *Cim.* 15: *ἀφείλοντο τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς τὰς κρίσεις πλὴν ὀλίγων ἁπάσας ... τοῦ Κίμωνος, ὡς ἐπανῆλθεν ... πειρωμένου πάλιν ἄνω τὰς δίκας ἀνακαλεῖσθαι ... κατεβόων κτέ.*, cf. spr.; denique, *eam rem omni libertati quin immo licentiae, ex quorumdam saltem opinione, ansam dedisse.* Sufficiat in re notissima unus testis PLUT. *Per.* 7: ... *τὸν Ἐφιάλτην, ὃς κατέλυσε τὸ κράτος τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, πολλὴν, κατὰ τὸν Πλάτωνα, καὶ ἄκρατον τοῖς πολίταις ἐλευθερίαν οἰνοχοῶν· ὑφ' ἧς, ὥσπερ ἵππον, ἐξυβρίσαντα τὸν δῆμον οἱ κωμῳδοποιοὶ λέγουσι* (f. CRATINUS CIMONIS familiaris) *πειθαρχεῖν οὐκέτι τολμᾶν, ἀλλὰ δάκνειν τὴν Εὔβοιαν, καὶ ταῖς νήσοις ἐπιπηδᾶν*, ubi qui versus subesse non odorati sunt, editoribus acumen multum gratulor. L. ibi:

[*ἐξυβρίσας* ?] *πειθαρχεῖν οὐκέτι τολμᾶν* [f. *τολμᾷ*]
ἀλλ' [*ἔν τε*] *δάκνειν τὴν Εὔβοιαν καὶ ταῖς νήσοις ἐπιπηδᾶν* [f. *δάκνει, ἐπιπηδᾷ*].

Factum hoc est Ol. 80. 1, $4\frac{60}{59}$, archonte PHRASICLIDE (DIOD. XI. 77) et quidem, ut PLUTARCHUS tradit (*Cim.* 15), cum CIMON *ἐπὶ ςρατείαν ἐπέπλευσε*, qui redux EPHIALTIS innovationibus sese opposuisse dicitur a PLUT. l. l., cui non video cur fides denegetur. Summa igitur inter factiones orta contentione, dum CIMONI obiiciebatur incestus (PLUT. *Cim.* 15), dum EPHIALTES vel interfectus est (DIOD. XI. 77, PLUT. *Per.* 10), AESCHYLUS quoque, iam plus quam sex et sexaginta annos natus, docta *Ὀρεςείᾳ* certamini sese immiscuit.

Ante illud tempus rempublicam attigisse non videtur. Nempe et tragica studia eum retinuisse censenda sunt, et indoles vemens ipsius et iracunda, si modo recte eam in *Ranis* expressit ARISTOPHANES. Tum vero eadem cum PLATONE et ARISTOTELE sentiens nobilium partes amplexus est, et qui ad *Marathonem* pro patriae libertate sanguinem effuderat, qui *Artemisii*, *Salamine*, *Plataeis* contra Persas pugnaverat, cuius carmine de Salaminia victoria (*Pers.* 353—472) nemo umquam magnificentius libertatem celebravit, iam nunc alteram etiam partem dicti sui defendere statuit quod est *Eum.* 526 sqq.:

μήτ' ἄναρκτον βίον
μήτε δεσποτούμενον
αἰνέσῃς.
παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν.

Olympiadis igitur 80 anno altero, Elaphebolione 458, archonte PHILOCLE, AESCHYLUS docuit Ἀγαμέμνονα, Χοηφόρους, Εὐμενίδας, Πρωτέα σατυρικόν. ORESTES fervidissimo amore in patrem necatum actus, iussu APOLLINIS matrem CLYTAEMNESTRAM caedis auctorem occidit, quam etsi iustissime interfecit, tamen matris Ἐρινύες suum vicissim ius exposcunt et mortem ORESTIS, quam ni obtinebunt (*Eum.* 496 sqq.):

πολλὰ δ' ἔτυμα παιδότρωτα
πάθεα προσμένει τοκεῦ-
σιν μετά τ' αὖθις ἐν χρόνῳ.

et (vs. 516): πιτνεῖ δόμος δίκας. Quam rem dirimit ATHENE dea, nam etsi (vss. 470 sqq.):

τὸ πρᾶγμα μεῖζον ἤ τις οἴεται τόδε
βροτὸς δικάζειν· οὐδὲ μὴν ἐμοὶ θέμις
φόνου διαιρεῖν ὀξυμηνίτου δίκας.

tamen (vss. 482 sqq.):

ἐπεὶ δὲ πρᾶγμα δεῦρ' ἐπέσκηψεν τόδε,
φόνων δικαστὰς ὁρκίων αἱρουμένους,
θεσμὸν τὸν εἰς ἅπαντ' ἐγὼ θήσω χρόνον.

Sic igitur *Areopagus* instituitur, quam ipsa ATHENE disertissimis hisce et gravissimis verbis populo commendat (vss. 681 sqq.):

κλύοιτ' ἂν ἤδη θεσμὸν, Ἀττικὸς λεὼς
πρώτας δίκας κρίνοντες αἵματος χυτοῦ.
ἔσται δὲ καὶ τὸ λοιπὸν Αἰγέως στρατῷ
ἀεὶ δικαστῶν τοῦτο βουλευτήριον.
πάγον δ' Ἄρειον τόνδ' Ἀμαζόνων ἕδραν ....
.... ἔνθεν ἔστ' ἐπώνυμος
πέτρα, πάγος τ' Ἄρειος· ἐν δὲ τῷ σέβας
ἀστῶν, φόβος τε συγγενὴς τὸ μὴδικεῖν
σχήσει τό τ' ἦμαρ καὶ κατ' εὐφρόνην ὁμῶς
αὐτῶν πολιτῶν μὴπικαινούντων νόμους.
κακαῖς ἐπιρροαῖσι βορβόρῳ θ' ὕδωρ
λαμπρὸν μιαίνων οὔποθ' εὑρήσεις ποτόν.
τὸ μήτ' ἄναρχον, μήτε δεσποτούμενον

ἀστοῖς περιστέλλουσα βουλεύω σέβειν
καὶ μὴ τὸ δεινὸν πᾶν πόλεως ἔξω βαλεῖν,
τίς γὰρ δεδοικὼς μηδὲν ἔνδικος βροτῶν;
τοιόνδε τοι ταρβοῦντες ἐνδίκως σέβας,
ἔρυμά τε χώρας καὶ πόλεως σωτήριον,
ἔχοιτ' ἂν οἷον οὔτις ἀνθρώπων ἔχει,
οὔτ' ἐν Σκύθαισιν οὔτε Πέλοπος ἐν τόποις.
κερδῶν ἄθικτον τοῦτο βουλευτήριον
αἰδοῖον, ὀξύθυμον, εὑδόντων ὕπερ
ἐγρηγορὸς φρούρημα γῆς καθίσταμαι.
ταύτην μὲν ἐξέτειν' ἐμοῖς παραίνεσιν
ἀστοῖσιν εἰς τὸ λοιπόν.

Potestne luculentius, fere dixerim in ipsa populi contione? Et licet ipsa fortasse causa ignoretur, AESCHYLUM tamen pro certo statuere possumus gravissime laesum iri ius publicum animo vidisse.

AESCHYLUS praemium adeptus est (*Arg. Agam.*), sed non impune. Vix enim theatro relicto (si quidem fugam capessivit ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμόν HERACL. PONT. ap. ** EUSTR. ad ARIST. *Eth. Nic.* III. 1 § 17, quem de sqq. vide; cf. tabulam h. a.) rabidum vulgus undique eum aggressum est [9]. Cum Areopagitae ipsum defenderent eo, quod oporteret haud iniudicatum condemnari, γραφὴ ἀσεβείας in eum intenta est, quorum priora colligantur e mentione Areopagitarum ap. HERACL. l. l.; ex AEL. *V. H.* V. 19: Αἰσχύλος ὁ τραγῳδὸς ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπί τινι δράματι et ** APSIN. *Rhett. Gr.* IX. 378: (κρινόμενος) ... Αἰσχύλος ἐπὶ ταῖς Εὐμενίσι ... ὅπου μέγα τι καὶ ὡμολογημένον τὸ ἀδίκημα patet, AESCHYLUM ἀσεβείας et quidem de Εὐμενίσιν causam dixisse; de ipso iudicio constat ex Pontici HERACLIDIS loco classico ap. EUSTR. l. l., cuius umbram quamdam accepit AEL. l. l.; ceteroquin ipse EUSTRATIUS HERACLIDEM adducens nomen fabulae ignorat, eo opinor deceptus, quod ex ARIST. l. l. pateret, μυστικά quaedam ab AESCHYLO evulgata esse; EUSTRATIUS qui AESCHYLI dramata bene multa habuisse videtur omnes locos con-

9) Huc fortasse pertinet AEL. *V. H.* V. 19: ἑτοίμων οὖν ὄντων Ἀθηναίων βάλλειν αὐτὸν λίθοις, quod AELIANUS, qui h. l. plura miscet, ad ipsum iudicium trahit.

quisivit, in quibus de *μυςικοῖς*, i. e. ex sua opinione, » *περὶ Δημήτρας*", sermo esset. At fuit quidam fortasse *τῶν Εὐμενίδων* cum mysteriis nexus, quem nunc frustra quaerimus. Tutatus est causam suam AESCHYLUS (ARIST. l. l.) dicens se *οὐκ εἰδέναι ὅτι ἀπόρρητα ἦν*, sed condemnatus fuisset (HERACL. PONT. ap. EUSTR. l. l.) ni *Marathonis* et CYNEGIRI fratris memoria eum servasset, quae fortasse ipsa causa fuit, cur (cf. PAUS. I. 14 § 4) hanc unam, ut quae unica pars gloriae ipsi haud inutilis fuerit, tristissimo illi epitaphio inscripserit (*Vit. Aesch.* et saepius):

Αἰσχύλον Εὐφορίωνος Ἀθηναῖον τόδε κεύθει
μνῆμα καταφθίμενον πυροφόροιο Γέλας.
ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον Μαραθώνιον ἄλσος ἂν εἴποι
καὶ βαθυχαιτήεις Μῆδος ἐπιςάμενος.

Cum ista, quam modo proposui, narrationis serie optime convenit **DIODORI *Epigramma* (ap. BRUNCK ** *Anal.* II. p. 188), ubi *extranea* poëtae sepultura narrata, subiungit:

τίς φθόνος ἀςῶν
Θησείδας ἀγαθῶν ἔγκοτος αἰὲν ἔχει.

Inde etiam, puto, rumor iste de causis itineris Siculi nunc huic nunc illi poëtae nostri cum Atheniensibus dissensioni fictae superstructis; hinc, non ex epigrammate, ut putavit BÖTTIGERUS (*die Furienmaske*, in *Kleine Schriften*, Ed. 1837, I. p. 190 n. ***) causa itineris permira hac ratione narrata in *Vita Aeschyli*: *τινὲς δέ φασιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον ὥςε τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι*, et POLLUCIS narratio (IV. 110): *ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου, πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντος, συνέςειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν.* Quod ad priorem narrationem, quam merito iam explosit BÖTTIGERUS l. l. et ob alias causas et quod mulieres *Athenis* tragoedias non spectassent (?), nondum satis attenderunt VV. DD. an fortasse istud sive accusatorum sive Comici alicuius poëtae inventum ipso forte quodam AESCHYLI loco niteretur, quales sunt *Eum.* 780—788, 800—804, 830 sq., 858—861, 887—890, et quae iis opponuntur 903—910, 956—960, et prae ceteris 938—949. Haec autem hactenus.

Obiit AESCHYLUS tertio post anno, Ol. 81. 1, vere 455, cum archon esset *Athenis* CALLIAS. Obiit *Gelae* in *Sicilia* (*M. P.* LIX.

47, *Vit. Aesch.*) ubi et sepultus est (*Epigr.* ipsius AESCHYLI ap. *Vit. Aesch.*, cf. PAUS. I. 14 § 4), natus annos 69 et menses aliquot, *Gelam* enim, in pristinum amici HIERONIS regnum, sese post iudicium recepisse videtur[10] (cf. WELCK. p. 519 sqq.).

Inepta est narratio de eius morte per testudinem, quam merito exploserunt LEHRSIUS, WELCKERUS, BERGKIUS in diario *Rhein. Mus. f. d. Philol.* De fabulae vero origine haec est pulcherrima, sed eadem audacissima BERGKII coniectura: aquila cum testudine emblema est et symbolum aggressionis praeter spem felicis, ut aquila cum dracone necopinato adversam indicat. Iam *potuit* illud quodammodo cum AESCHYLI vita cohaerere, *potuit* idem expressum esse in AESCHYLI sepulchro quod *Gelae* fuisse scimus, nempe aquila cum testudine supra sedentem poëtam, ex quo eodem fonte *βιογράφοι* potuerant haurire, AESCHYLI caput calvitiem contraxisse. Inde igitur fabula orta, ut nasci solent e monumentis. Ingeniosissime sane et pro BERGKII sagacitate excogitata sunt haec omnia, sed quis non videt, nos ita ludere et peius etiam Graeculorum magistris *αὐτοσχεδιάζειν*, si talia fidem invenient, quam tamen, verum enim fatebor, vel haec scribens BERGKIO denegare vix possum.

Duo restant non de argumento, sed de ratione huius ipsius scriptionis monenda. Alterum hoc est, in memoriam revocare, quam incerta sint omnia supra enarrata. Quod verbo absol-

---

10) Plura AESCHYLI itinera non memorantur, sed verisimilia sunt, quod nondum animadversum esse miror. Nam vel qui modo consuluerit tabulas KIEPERTI Geographicas (*Topographisch-Historischer Atlas von Hellas u. d. Hellenischen Colonien in* 24 *Blättern*, 2° berichtigte Ausg., Berlin, 1851) sponte intelliget, necessario ab oculato demum teste locos eligi potuisse, quibus (*Agam.* 281—312) ignes accendi iusserat CLYTAEMNESTRA ad famam *Troiae* deletae excipiendam. *Μακίστου σκοπάς* vs. 289 non debuissent VV. DD. in monte *Atho* quaerere; ut singulis locis et hic interponit poëta intervallorum etiam mentionem, *πόντον* inter *Athon* et *σκοπάς* vs. 236, *Euripum* vs. 289 inter *σκοπάς* et *Μεσάπιον* in *Boeotia*, prope *Anthedonem.* Quantum video, *σκοπαὶ Μακίστου* (a *μήκιστος*) nil esse possunt nisi *summum* montis *Τελεθρίου* cacumen, de quo cf. STRAB. X. I. 4, p. 445 f. in *Euboea* ad caput fluvii *Κάλλαντος*, in ipso termino agri Histiaeorum; unde inter insulas *Sciathum* et *Peparethum* liber est etsi longinquus versus *Athon* prospectus.

vam, dicens, tum neque me ipsum miraturum, si quando novum aliquid hodieque latens documentum bonam partem eorum evertet quae supra narravi, tum vero, eorum quam plurima VV. DDum coniecturis niti, quibus tamen, quod de WELCKERO praecipue valet, fides haud raro melius constat quam disertis si quae sunt veterum testimoniis. Tam levi igitur fundamento insistens eius debilitatem dissimulare nolo, tali fraude nil perniciosius hisce Litteris posse accidere arbitratus. Sin autem aliquando firmata erint ea fundamenta, hoc est quod inniti potest, et plura, opinor, superioribus vix superstrui possunt sine temeritate, cui vitio ne plura, opinor, et ipse impegerim multum vereor.

Nil iam superest, nisi ut ostendam, cur tantum tribuerim locutionibus primo obtutu haud ita gravibus, Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος, ἐπιζήσας τρίτον ἔτος, cur ineptam de *Eumenidibus* fabulam non prorsus reiecerim. Quorum illud feci, quoniam in tanta obscuritate et penuria testimoniorum duplex genus vitiorum nos ludificatur, nempe ea quae ab imprudentibus veteribus, quaeque a scientibus illata sunt; quorum hic saltem errorum fons in eiusmodi sane locutionibus longe minor est quam in disertis testimoniis. Nullum vero auctorem neque vel ineptissimam narrationem prorsus reiiciendam esse duxi, mecum reputans non esse e consuetudine hominum, ut res ipsas prorsus fingant; quas vero invenerint, eas explicando, illustrando, addendo impudenter depravare solent et detorquere, ut quid verum sit, quid falsum, omnino dignosci nequeat; aliquid tamen veri subest fere semper.

Quod si etiam huic scriptioni boni aliquantulum subesse pronuntiabunt aequi iudices, haud irritum opus me fecisse arbitrabor [11].

Scripsi Lugd. Bat. E. J. KIEHL.
m. Ianuario a. 1851.

---

[11]) AESCHYLI nuperrimas edd. cura GOD. HERMANNI et GUIL. DINDORFII, quorum alteram summi viri liberalitati gratus debeo, sero accepi quam ut huic scriptioni antequam typus mandaretur emendandae inservire possent.

6 *m. Sept.* 1852.

A. Chr. N.	Olympiades. *Conveniunt cum Archontibus.*	Archontes. *Magistratum ineunt Hecatombaeone, i. e. Iulio.*	Aeschyli aetas.	
Iul. 525—I. 524. [Oct. 525??]	63. 4. [Πυανεψιών ??]	?		Aeschylus nascitur sem Octobrem, Iam 35 annos natus vel Βοηδρομιών),
I. 500—I. 499. Mart. 499.	70. 2. Ἐλαφηβολιών.	?	25. Suid. Αἰσχ. [et 5 mensium].	Aeschylus primum Competitores fuere Spectatorum sedili Natus erat annos 2
I. 490—I. 489. Sept. (Aug.) 490.	72. 3. Βοηδρ. (Μεταγ.)	Φαίνιππος.	35. M. P. XLVIII. 62.	Aeschylus in pugn est, natus annos
I. 485—I. 484. Mart. 484.	73. 4. Ἐλαφ.	Φιλοκράτης.	[40 et 5 m.]	Aeschyli prima tr omnium competi
I. 480—I. 479. Iul., Sept. 480.	75. 1. Ἑκατ. Βοηδρ.	Καλλιάδης.	[44 et 9, 11 m.]	Aeschylus proeliis mina interfuit.
I. 479—I. 478. Sept. 479.	75. 2. Βοηδρ.	Ξάνθιππος.	[45 et 11 m.]	Aeschylus pugnae Aetnae eruptio sec
I. 478—I. 477. [Iul.—Novbr.]	75. 3. [Ἑκατ. — Μαιμακτ.]	Τιμοσθένης.	[47].	Hiero τύραννος Syr 8 inter τύραννον rannidem occupa
I. 477—I. 476. Mart. 476.	75. 4. Ἐλαφ.	Ἀδείμαντος.	[48 et 5 m.]	Phrynichi Phoeniss
I. 476—I. 475.	76. 1.	Φαίδων. Cl. 476.	[49].	Hiero Aetnam co mutavit, urbem Aeschylus in aula vi ante in Sicilia
I. 475—I. 474.	76. 2.	Δρομοκλείδης. Cl. 475.	[50].	Aetnae eruptio se finem Ol. 76. 2,

VITA AESCHYLI

SECUNDUM WELCKERUM ET CLINTONEM POTISSIMUM DESCRIPTA.

FACTA.	TESTIMONI
Aeschylus nascitur, haud ita diu ut videtur post mensem Octobrem, Atheniensium Πυανεψιῶνα.	Marm. Par. Ep. XLVIII. l. 62. (Ed. C. Mulleri in Fragm ἐν μάχῃ συνηγωνίσατο Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς [ἐτ]ῶ[ν] ὢ
Iam 35 annos natus est m. Octobri a. 490 (Μεταγειτνιῶι vel Βοηδρομιών), 25 m. Martis 500 (Ἐλαφηβολιών).	M. P. LIX. 72. Ἀφ' οὗ Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς βιώσας ἔτη ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλ[ί]ου τοῦ προτέρου. Alter C Suid. in Αἰσχύλος (Ed. Aem. Porti Col. 1619): — ἡγ p. 165) ὀλυμπιάδι ἐτῶν ὢν κε': —
t Aeschylus primum tragoedia acta contendit. Competitores fuere Choerilus et Pratinas. Spectatorum sedilia corruunt.	Suid. Πρατίνας: — ἀντηγωνίζετο δὲ αἰσχύλῳ τε καὶ χοιρ δεικνυμένου δὲ τούτου, συνέβη τὰ ἰκρία, ἐφ' ὧν ἑστήκε Suid. Αἰσχ. Cf. spr. Ol. 70. 2. . . . φυγὼν δὲ ἐπὶ σικελ
Natus erat annos 25, [menses plurimum 5].	
. Aeschylus in pugna Marathonia graviter vulneratus est, natus annos 35. [Desunt menses plurimum 5]	Vita Aeschyli (Teubn. 1827): . . . φασὶν αὐτὸν καὶ μετ (l. Κυνεγείρῳ) τῆς τε ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίας σὺν τῷ χίας. Cf. M. P. spr. Ol. 63. 4. Paus. I. 14 § 4 (Tauchn. 1818). Αἰσχύλος, ὥς οἱ τοῦ οὐδενὸς, δόξης ἐς τοσοῦτον ἥκων ἐπὶ ποίησιν, καὶ πρὸ προτεθὲν καὶ τὴν πόλιν ἔγραψεν, καὶ ὡς τῆς ἀνδρείας ἀποβάντας. Vult Epigr. in Vita Aesch. et saepius, ** Eustrat. ad Arist. Eth. Nic. III. 1 § 17 (Tauchn. 1 διὰ τὰ πραχθέντα αὐτῷ ἐν τῇ ἐπὶ Μαραθῶνι μάχῃ· (cf. Hdt. VI. 144), αὐτὸς δὲ πολλὰ τρωθεὶς ἀνηνέχθη γραμμένον αὐτοῦ τῷ τάφῳ· Αἰσχύλον Εὐφορίωνος κτἑ. λου Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ὁμήρου.
Aeschyli prima tragica victoria: i. e. tum primum omnium competitorum primus fuit.	M. P. L. 65: Ἀφ' οὗ Αἰσχύλος ὁ ποιητὴς τραγῳδίᾳ πρῶτο
Aeschylus proeliis navalibus ad Artemisium et Salamina interfuit.	Paus. I. 14. 4. de utroque proelio, cf. spr. Ol. 72. 3;
Aeschylus pugnae Plataeënsi interfuit.	Vit. Aesch., cf. spr. Ol. 72. 3.
Aetnae eruptio secundum M. P. Cf. infr. Ol. 76. 2.	M. P. LII. 68 . . . καὶ τὸ πῦρ ἐρρύη κ[α̃ον ἐν Σικ]ελίᾳ περ III. 116.
Hiero τύραννος Syracusis; intersunt anni 11, menses 8 inter τύραννον et mortuum Hieronem, [itaque tyrannidem occupavit anni primis 4 mensibus].	Diod. Sic. XI. 38 (T. I. p. 433 Wess.): ἐπ' ἄρχοντος δ' σίων) . . . ὁ βασιλεὺς Γέλων . . . τοῦ ζῆν ἀπελπίσας, ἀδελφῶν . . . . Ἱέρων δὲ . . . ἐβασίλευσε τῶν Συρακουσίω * * Schol. Pind. Pyth. I. 1. ἔσχε δὲ ὁ Ἱέρων τὴν τῶν Σ τὴν τῇ ἑβδομηκοστῇ πέμπτῃ ὀλυμπιάδι.
Phrynichi Phoenissae aguntur Διονυσίοις τοῖς ἐν ἄστει.	Arg. Pers. Γλαῦκος ἐν τοῖς περὶ Αἰσχύλου μύθων ἐκ τῶν Plut. Them. 5 (Tauchn. 1829): καὶ πίνακα τῆς νίκης ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν.
Hiero Aetnam condidit: i. e. nomen urbis Catanae mutavit, urbem amplificavit, veteres sessores eiecit.	Paus. I. 2 § 3: καὶ ἐς Συρακούσας πρὸς Ἱέρωνα Αἰσχύ
Aeschylus in aula Hieronis docet Αἰτναίας, [cum brevi ante in Siciliam venisset].	Vit. Aesch.: ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν, Ἱέρωνος τότε πάνυ λαμπρῶς cf. G. Herm. Opuscc. II. p. 148. Ed. continens Aeschyli Prometheum et Septem adv. Th add. Herm. l. l.) βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικοῦσι τὴν πόλιν Diod. XI. 48: ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Φαίδωνος . . . . 4 πόλεων ἀναστήσας, ἰδίους οἰκήτορας ἀπέστειλεν . . . . καὶ σπεύδων ἅμα μὲν ἔχειν βοήθειαν ἑτοίμην ἀξιόλογον π γενομένης μυριάνδρου πόλεως τιμὰς ἔχειν ἡρωικάς. * * Schol. Pind. Pyth. I. 1. τὴν δὲ Κατάνην ἀνακτίσας
Aetnae eruptio secundum Thucydidem (nempe sub finem Ol. 76. 2, vere 474). Cf. spr. Ol. 75. 2. [Φινεύς,	Thuc. III. 116 (Tauchn. 1829): λέγεται δὲ πεντηκοστῷ τρὶς γεγενῆσθαι τὸ ῥεῦμα, ἀφ' οὗ Σικελία ὑπὸ Ἑλλ

SCRIPTA.

Testimonia Veterum.	Recentiorum Loci.
. C. Mulleri in Fragmm. Histt. Didot): Ἀφ' οὗ ἡ ἐμ Μαραθῶνι μάχη ἐγένετο .... ὁ ποιητὴς [ἐτ]ῶ[ν] ὢν ΔΔΔΠ. ποιητὴς βιώσας ἔτη ΔΔΔΔΔΠΙΙΙΙ ἐτελεύτησεν ἐν [Γέλ]ᾳ τῆς [Σι]κελίας ... οῦ προτέρου. Alter Callias archon fuit Ol. 92. 1. ti Col. 1619): — ἠγωνίζετο δὲ αὐτὸς ἐν τῇ θ' (l. ο'. Petit. ** Misc. III. 14. T. I. —	Clinton, Fasti Hell. annis 525. 499. 456.
ε αἰσχύλῳ τε καὶ χοιρίλλῳ (l. Χοιρίλῳ) ἐπὶ τῆς ἑβδομηκοστῆς ὀλυμπιάδος .... ἐπι- ὰ ἰκρία, ἐφ' ὧν ἑστήκεσαν οἱ θεαταί, πεσεῖν. . Φυγὼν δὲ ἐπὶ σικελίαν, διὰ τὸ πεσεῖν τὰ ἰκρία ἐπιδεικνυμένου αὐτοῦ.	Cl. 499.
Φασὶν αὐτὸν καὶ μετασχεῖν τῆς ἐν Μαραθῶνι μάχης σὺν τῷ ἀδελφῷ Κυναιγείρῳ ῖνι ναυμαχίας σὺν τῷ νεωτέρῳ ἀδελφῷ Ἀμεινίᾳ, καὶ τῆς ἐν Πλαταιαῖς πεζομα-	Cl. 490. Herm. Opp. II. p. 164.
Αἰσχύλος, ὡς οἱ τοῦ βίου προσεδοκᾶτο ἡ τελευτή, τῶν μὲν ἄλλων ἐμνημόνευσεν ἐπὶ ποίησιν, καὶ πρὸ Ἀρτεμισίου καὶ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσας· ὁ δὲ τό τε ὄνομα καὶ ὡς τῆς ἀνδρείας μάρτυρας ἔχοι τὸ Μαραθώνιον ἄλσος καὶ Μήδων τοὺς ἐς αὐτὸ ta Aesch. et saepius, quod vide infr. . 1 § 17 (Tauchn. 1845. 4⁰), fol. 40. a.: αὐτῶν τῶν δικαστῶν ἀφέντων μάλιστα ἐπὶ Μαραθῶνι μάχῃ· ὁ μὲν γὰρ ἀδελφὸς αὐτοῦ Κυνέγειρος ἀπεκόπη τὰς χεῖρας, λλὰ τρωθεὶς ἀνηνέχθη φοράδην· μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐπιγε- χύλον Εὐφορίωνος κτὲ. Cf. Ael. Var. Histt. v. 19. Quae λέγει ... περὶ Αἰσχύ- πρώτῳ περὶ Ὁμήρου. Cf. infr. Ol. 80. 2.	
οιητὴς τραγῳδίᾳ πρῶτον ἐνίκησε ... ἄρχοντος Ἀθήνησι Φιλοκράτους.	Cl. 484.
, cf. spr. Ol. 72. 5; Vit. Aesch. de Salaminio testis est, cf. spr. ibid.	Cl. 480.
κ[ᾶον ἐν Σικ]ελίᾳ περὶ τὸν Αἴτν[η]ν, ... ἄρχοντος Ἀθήνησι Ξανθίππου. Cf. Thuc.	Cl. 479. 425.
ess.): ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Τιμοσθένους .... τῶν δὲ Συρακουσίων (l. Συρακο- τοῦ ζῆν ἀπελπίσας, τὴν μὲν βασίλειαν παρέδωκεν Ἱέρωνι τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν ίλευσε τῶν Συρακουσίων (l. Συρακοσίων) ἔτη ἕνδεκα καὶ μῆνας ὀκτώ. δὲ ὁ Ἱέρων τὴν τῶν Συρακουσίων ἀρχὴν μετὰ τὴν τοῦ Γέλωνος τοῦ ἀδελφοῦ τελευ- πιάδι.	Cl. 478.
ἰσχύλου μύθων ἐκ τῶν Φοινισσῶν φησι Φρυνίχου τὰς Πέρσας παραπεποιῆσθαι. καὶ πίνακα τῆς νίκης ἀνέθηκε, τοιαύτην ἐπιγραφὴν ἔχοντα· Θεμιστοκλῆς Φρεάρριος Ἀδείμαντος ἦρχεν.	Cl. 472.
ὡς πρὸς Ἱέρωνα Αἰσχύλος καὶ Σιμωνίδης ἐστάλησαν. ελίαν, Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος, ἐπεδείξατο τὰς Αἴτνας (l. Αἰτναίας uscc. II. p. 148. Ed. Lips. 1827. — αἰτναίας etiam Cod. Leid. Bibl. Publ. 51, n et Septem adv. Thebas, hanc fabulam in f. mutilam) οἰωνιζόμενος (ἐντεῦθεν ς συνοικοῦσι τὴν πόλιν κτὲ. Cf. infr. θήνησι Φαίδωνος .... 49. Ἱέρων δὲ τούς τε Ναξίους καὶ τοὺς Καταναίους ἐκ τῶν ρας ἀπέστειλεν .... καὶ τὴν μὲν Κατάνην μετωνόμασεν Αἴτνην, ... τοῦτο δ' ἔπραξε ν ἑτοίμην ἀξιόλογον πρὸς τὰς ἐπιούσας χρείας (cf. XI. 67. f.) ἅμα δὲ καὶ ἐκ τῆς μὰς ἔχειν ἡρωικάς.	**Cl. 476 de Aetna ne verbum quidem.** **Welck. Tril. pp. 519** sq.
Κατάνην ἀνακτίσας ὁμωνύμως τῷ παρακειμένῳ ὄρει Αἴτναν προσηγόρευσε. έγεται δὲ πεντηκοστῷ ἔτει ῥυῆναι τοῦτο μετὰ τὸ πρότερον ῥεῦμα, τὸ δὲ ξύμπαν, οὗ Σικελία ὑπὸ Ἑλλήνων οἰκεῖται. Accidit hoc περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ. Ibid.	**Cl. 425.** **Welck. Tril. pp.475**sq.n.

A. Chr. N.	Olympiades.	Archontes.	Aeschyli Aetas.	
				Πέρσαι, Γλαῦκ aula Hieronis a eas Athenis docu
I. 474—I. 473.	76. 3.	Ἀκεςορίδης. Cl. 474.	[51].	[Aeschylus docet μώτην, λυόμενον
I. 473—I. 472. Mart. 472.	76. 4. Ἐλαφ.	Μένων.	[52 et 5 m.]	Φινεύς, Πέρσαι, Γλ aguntur ab Aes
I. 469—I. 468. Mart. 468.	77. 4. Ἐλαφ.	Ἀψηφίων.	[56 et 5 m.]	Sophocles primam schylo, qui fals Ol. 78. 1.
I. 468—I. 467. Mart. 467.	78. 1. Ἐλαφ.	Θεαγενίδης. Cl. 468.	[57 et 5 m.]	Aeschylus vincit Σφιγγὶ σατυρικῇ Aristides moritur Ἑκατ., siquiden
I. 467—I. 466. [Mart.—Iul.]	78. 2. [Ἐλαφ. — Ἑκατ.]	Λυσίςρατος.	[58 et 5—9 m.]	Hiero moritur. C 11 et m. 8, [i m[illegible]sibus].
I. 459—I. 458. Mart. 458.	80. 2. Ἐλαφ.	Φιλοκλῆς.	[66 et 5 m.]	Aeschylus vincit Πρωτεῖ σατυρικῷ Γραφὴ ἀσεβείας a Iterum in Siciliam potest, ut hoc a sit. [Facta haec sunt, puli scitum resci toritatem minue cestum obiecit clam interfectus Cf. Aesch. Eum. Ephialtes ὁ Σιμων τῶν Ἀρεοπαγιτῶ ἄρχοντος Ἀθήνησ nescio quare om
I. 456—I. 455. Ante Mai.	81. 1. Ante Θαργηλ.	Καλλίας.	69 [et m. 7??] M. P. LIX. 74.	Aeschylus Gelae m solstitium hiber Boëdromione i. (cf. Ol. 72. 3), dixissent scripto obiisset.

Πέρσαι, Γλαῦκος πόντιος, Προμηθεὺς πυρκαεύς in aula Hieronis actae fuere ab Aeschylo antequam eas Athenis docuisset]. Cf. Ol. 76. 1 et ibi Vit. Aesch.

[Aeschylus docet Syracusis Προμηθέα πυρφόρον, δεσμώτην, λυόμενον].

Φινεύς, Πέρσαι, Γλαῦκος πόντιος, Προμηθεὺς πυρκαεύς aguntur ab Aeschylo, qui vincit.

Sophocles primam victoriam obtinet, eamque de Aeschylo, qui falso traditur Siciliam petisse. Cf. infra Ol. 78. 1.

Aeschylus vincit Λαΐῳ, Οἰδιπόδι, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Σφιγγὶ σατυρικῇ. Cf. spr. Ol. 77. 4.

Aristides moritur inter Martium et Iulium, Ἐλαφ. et Ἑκατ., siquidem Διδασκαλία genuina est. Cf. Cl.468.

Hiero moritur. Cf. spr. Ol. 75. 3. Regnavit annos 11 et m. 8, [itaque mortuus est extremis 4 anni mensibus].

Aeschylus vincit Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ.

Γραφὴ ἀσεβείας adversus eum instituitur.

Iterum in Siciliam proficiscitur, sed Gelam; sed fieri potest, ut hoc anni demum sequentis initio factum sit.

[Facta haec sunt, cum redux Cimon conatus esset, populi scitum rescindere, quo Ephialtes Areopagi auctoritatem minuerat. In qua contentione Cimoni incestum obiecit Eupolis (Plut. Cim. 15), Ephialtes clam interfectus est (Diod. XI. 77. Plut. Per. 10). Cf. Aesch. Eum. 681—708].

Ephialtes ὁ Σιμωνίδου ... τὸ πλῆθος παροξύνας κατὰ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν, psephisma tulit Ol. 80. 1, ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Φρασικλείδου (Diod. XI. 77). Quae nescio quare omiserit Clinton a. 460.

Aeschylus Gelae moritur. Si natus esset paulo ante solstitium hibernum, ita ut annus eius aetatis iam Boëdromione i. e. Septembre absolutus dici posset (cf. Ol. 72. 3), verisimiliter septuagenarium eum dixissent scriptores, nisi aliquot mensibus ante diem obiisset.

Vit. Aesch. Cod. Guelf. (Robort. p. 13, cum emend. (
διδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίᾳ, καὶ λίαν εὐδοκιμῆσα
Schol. Rav. Ar. Ran. 1021 (Didot): οἱ Πέρσαι πρότερον
Schol. Ven. Ar. Ran. 1028: δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι
Ἱέρωνος. ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδιῶν.

Aesch. Prom. 351—373, praesertim 367 sqq. (Dind
ἀγρίαις γνάθοις | τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευροὺς γ
Arg. Pers.: ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φιν
μηθεῖ. Cf. spr. Ol. 76. 2 et inf. Ol. 78. 1.
M. P. LVI. 72: Ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς ὁ Σοφίλλου (l. Σωφίλου
ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀψηφίονος (l. Ἀψηφίωνος).
Plut. Cim. 8 (Tauchn. 1829): ... πρώτην γὰρ διδασκαλία
ὁ ἄρχων ... Νικήσαντος δὲ τοῦ Σοφοκλέους λέγεται
χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνῃσι (l. —ησι) διαγαγεῖν, εἶτ' ο
Γέλαν τέθαπται.
Vit. Aesch. ἀπῆρε δὲ ὡς Ἱέρωνα τὸν Σικελίας τύραννον,
ἡσσηθεὶς νέῳ ὄντι Σοφοκλεῖ.
Didascalia e Cod. Med. ed. ** Franz: ἐδιδάχθη ἐπὶ Θεαγε
Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, Σφιγγὶ σατυρικῇ· δεύτερος Ἀριςίας
Πρατίνου πατρός· τρίτος Πολυφράδμων (Cod. — σμων)

Diod. Sic. XI. 66: ἐπ' ἄρχοντος δ' Ἀθήνησι Λυσιςράτου
Κατάνῃ (quam tum Aetnam dixerat). Cf. 38. 67 sq.
** Schol. Pind. Pyth. I. 1. συνέβη δὲ αὐτὸν νικῇ κυτα
Arg. Agam. ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοκλέου
Ἀγαμέμνονι, Χοηφόροις, Εὐμενίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ
** Apsin. Rhett. Gr. IX. 478: οἱ ἐπὶ Ποτιδαιάταις κριν
μέγα τι καὶ ὡμολογημένον τὸ ἀδίκημα.
** Eustr. l. l. (Cf. Ol. 72. 3): δοκεῖ γὰρ Αἰσχύλος λέγειν
σύφῳ πετροκυλιςῇ καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ, καὶ ἐν Οἰδίποδι
πᾶσι περὶ Δημήτρας λέγων, τῶν μυςικωτέρων περιεργό
κλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ὁμήρου, ὡς κιν
φέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαισθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ
αιτησαμένων, ὡς ὀφείλοντα κριθῆναι πρῶτον (l. πρό
solutum esse) αὐτῶν τῶν δικαςῶν κτἑ. Cf. Ol. 72. 3.
Ael. V. H. v. 19. (Ed. Lederl. Argent. 1713): Αἰσχύλ
οὖν ὄντων Ἀθηναίων βάλλειν αὐτὸν λίθοις ... Seqq.
tam secutus esset.
Epigr. Diodori 12. ap. Br. ** Anal. II. p. 188: ... τίς
narrasset Aeschylum Gelae sepultum.
Vit. Aesch. ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν .... καὶ σφόδρα τ
ἔτος ὢν ἐτῶν πέντε πρὸς ταῖς ἑξήκοντα [nempe cum
Ol. 80. 2, unde unum annum vel partem detraxit
natum, neque ipso fine mortuum crederet]. (Item
priore, quod unum cognovit, Aeschyli itinere in Si
Plut. Cim. 15, enarrata Ephialtis mutatione: ... Διὸ
τὰς δίκας ἀνακαλεῖσθαι, καὶ τὴν ἐπὶ Κλεισθένους ἐ
ἐξερέθιζον. Cf. Per. 7. 9. 10.
M. P. LIX. 74. Cf. Ol. 63. 4. — Vit. Aesch. Cf. Ol.
ab Ol. 80. 2 ad Ol. 81. 1, sed Aeschyli causa in se
Schol. V. Ar. Ach. 10: ἐτελεύτησε γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος
Acharnenses actae sunt archonte Euthydemo, Ol.
Suid.: Αἰσχ.: .. ἀπώλετο ἐτῶν νη' γενόμενος. Annum
clis victoriam. Videtur igitur et ipse inde profect
Sicilia degisse.

p. 13, cum emend. G. Herm. Opp. II. 150): *Φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ανα-*
, *καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι.*
t): *οἱ Πέρσαι πρότερον δεδιδαγμένοι εἰσίν· εἶτα οἱ ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας.*
ῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ τοῦ Αἰσχύλου δεδιδάχθαι ἐν Σικελίᾳ, σπουδάσαντος
ἐν γʹ περὶ κωμῳδιῶν.

767, quem vide de duplici, quam nonnulli commenti sunt Persarum recensione. De theatro, quod l. l. tradit Syracusis fuisse prope regiam Hieronis plura nondum inveni.

rtim 367 sqq. (Dindorf.): *ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε | ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες*
του Σικελίας λευροὺς γύας.
ὼν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαυκῷ Ποτνιεῖ (l. *ποντίῳ*, Welcker.), *Προ-*
f. Ol. 78. 1.

Cl. 472.

Σοφίλλου (l. *Σωφίλου*, Naber) *ὁ ἐκ Κολωνοῦ ἐνίκησε τραγῳδίᾳ ἐτῶν ὢν ΔΔΠΙΙΙ* . . .
l. *Ἀψηφίωνος*).
ρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος, Ἀφεψίων (l. *Ἀψηφίων*)
Σοφοκλέους λέγεται τὸν Αἰσχύλον, περιπαθῆ γενόμενον καὶ βαρέως ἐνεγκόντα,
ησι) διαγαγεῖν, εἶτ' οἴχεσθαι δι' ὀργὴν εἰς Σικελίαν, ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ

όν Σικελίας τύραννον, κατά τινας μὲν, ὡς ὑπὸ Ἀθηναίων κατασπουδασθεὶς καὶ

Cl. 468.

: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Θεαγενίδου* (Cod. — *γένους*) *Ὀλυμπιάδι οηʹ· ἐνίκα Λαΐῳ, Οἰδίποδι,*
ρικῇ· δεύτερος Ἀριστίας (Cod. — *ίων*) *Περσεῖ, Ταντάλῳ, Παλαισταῖς σατυρικοῖς τοῖς*
άδμων (Cod. — *σμων*) *Λυκουργίᾳ* (l. *Λυκουργείᾳ*) *τετραλογίᾳ.*

* * Franzii Programma. I. Richter. Class. Mus. XXV. Oct. 1849. p. 312 sqq.

Ἀθήνησι Λυσιστράτου . . . *Ἱέρων δὲ ὁ τῶν Συρακουσίων βασιλεὺς ἐτελεύτησεν ἐν τῇ*
xerat). Cf. 38. 67 sq. et spr. Ol. 75. 3.
δὲ αὐτὸν νικῇ κυντα τεθρίππῳ τὴν οηʹ ὀλυμπιάδα ἐν ταύτῃ τελευτῆσαι.

Cl. 467.

ὶ ἄρχοντος Φιλοκλέους, Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἔτει δευτέρῳ. πρῶτος Αἰσχύλος
νίσι, Πρωτεῖ σατυρικῷ, ἐχορήγει Ξενοκλῆς Ἀφιδνεύς.
ἐπὶ Ποτιδαιάταις κρινόμενοι Ἀθηναῖοι, καὶ Αἰσχύλος ἐπὶ ταῖς Εὐμενίσι . . . *ὅπου*
δίκημα.
γὰρ Αἰσχύλος λέγειν μυστικά τινα ἔν τε ταῖς Τοξοτίσι καὶ Ἱερείαις, καὶ ἐν Σι-
είᾳ, καὶ ἐν Οἰδίποδι (quae igitur fabula fuerit, ignorat Eustr.), *ἐν γὰρ τούτοις*
μυστικωτέρων περιεργότερον ἅπτεσθαι ἔοικε. λέγει δὲ καὶ περὶ Αἰσχύλου καὶ Ἡρα-
περὶ Ὁμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεθῆναι ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν προ-
όμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμόν. καὶ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν αὐτὸν παρ-
ιθῆναι πρῶτον (l. *πρότερον*), *ἐδόκει ὑπαχθῆναι εἰς δικαστήριον καὶ ἀποφυγεῖν* (ab-
ὼν κτἑ. Cf. Ol. 72. 3.
gent. 1713): *Αἰσχύλος ὁ τραγῳδὸς ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπί τινι δράματι· ἑτοίμων*
τὸν λίθοις . . . Seqq. multa falsa, ac si Heraclidis narrationem valde deprava-

Cl. 458. 460. Böttiger, die Furienmaske Kl. Schr. Ed. 1837. I. p. 250. Welcker. Tril. pp. 520 sqq. Herm. Opp. II. pp. 143 sqq.

al. II. p. 188: . . . *τίς φθόνος ἀστῶν | Θησείδας ἀγαθῶν ἔγκοτος αἰὲν ἔχει*; cum
ultum.
ίαν . . . . *καὶ σφόδρα τῷ τυράννῳ Ἱέρωνι καὶ τοῖς Γελῴοις τιμηθεὶς, ἐπιζήσας τρίτον*
ξήκοντα [nempe cum in Siciliam veniret; sunt enim anni 66 ab Ol. 63. 4 ad
vel partem detraxit auctor narrationis, cum Aeschylum neque anni ipso initio
um crederet]. (Item *τρίτον ἔτος* verum est, cf. infra Ol. 81. 1, sed male cum
Aeschyli itinere in Siciliam coniunxit Auctor Vitae).
s mutatione: . . . *Διὸ καὶ τοῦ Κίμωνος, ὡς ἐπανῆλθεν* . . . *πειρωμένου πάλιν ἄνω*
τὴν ἐπὶ Κλεισθένους ἐγείρειν ἀριστοκρατίαν, κατεβόων συνιστάμενοι, καὶ τὸν δῆμον

Vit. Aesch. Cf. Ol. 80. 2. *ἐπιζήσας τρίτον ἔτος*, nempe sunt quidem *tres* anni
Aeschyli causa in sequentem annum tracta esse potest.
τε γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον τούτων πρότερον ἐνιαυτῷ λʹ.
nte Euthydemo, Ol. 88. 3, Gamelione i. e. Januario 425.
ʹ γενόμενος. Annum 60 (i. e. *ἐτῶν νηʹ γενόμενος*) agebat triennio post Sopho-
r et ipse inde profectus, quod Aeschylum statueret 3 annos vitae ultimos in

Cl. 456